Beyr

F
X

F.x

12620/p

DISSERTATIO INAVGVRALIS MEDICA
DE
LAXA CORPORIS COMPAGE MORBO NOSTRIS HOMINIBVS FAMILIARI

QVAM
RECTORE ACADEMIAE MAGNIFICENTISSIMO
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO
DOMINO
CAROLO AVGVSTO
DVCE SAXONIAE IVLIACI CLIVIAE MONTIVM
ANGARIAE ET GVESTPHALIAE LANDGRAVIO
THVRINGIAE REL.
AVCTORITATE
GRATIOSI MEDICORVM ORDINIS
IN VNIVERSITATE LITTERARIA IENENSI
PRO GRADV DOCTORIS
SVMMISQVE IN ARTE MEDICA HONORIBVS
AC PRIVILEGIIS
RITE IMPETRANDIS
AD DIEM IV. FEBRVARII CIƆIƆCCLXXXIX.
PVBLICE DEFENDET
PLACIDAEQVE ERVDITORVM DISQVISITIONI
SVBMITTET

AVCTOR
IOANNES IACOBVS BEYR
HELVETVS.

IENAE
LITTERIS GOEPFERDTIANIS.

BRITISH PROVINCIAL ARCHIVES
MORAVIAN CHURCH

Ἄγε, ἄγε δὴ, φύσιν ἄνδρες ἀμαυρόβιοι, φύλλων γενεᾷ προσόμοιοι, ὀλιγοδρανέες, πλάσματα πηλοῦ, σκιοειδέα φῦλ' ἀμενηνὰ, ἀπτῆνες, ἐφημέριοι, ταλαοὶ βροτοὶ, ἀνέρες εἰκελόνειροι.

Ariſtophanes in Avib. 686.

64471

WELLCOME LIBRARY

INTRODVCTIO.

Medicinam facturum naturae vias perſpectas habere oportet: Eſt enim ex intimis numinis penetralibus deprompta grauis ars. Quare noui quid eruere iuuenis medici vires haud ſufficiunt. Felix, qui prouidae deae veſtigia preſſa prudenter ſequi didicerit! Sed principum artis praeceptis probe imbutus, disiecta colligens, obscuriora dilucidans, incerta ſtrenue examinans, bene de republica merebitur. — Sane argumentum disquiſitionis, quod mihi pertractandum ſumſi, magni eſt momenti, itaque qua potui, diligentia et cura eam exarare ſtudui. Attamen vide, abſoluti quid ne quis exſpectet, neque me

medicos expertos docere, ſed tantum ex vetere academico inſtituto litterarum mearum rationem exhibere cupiſſe perpendat. Quare ſi quid ineſt vtile et vitae aptum, fruere, lector. Sin minus, beneuolo animo non, quid valeam, ſed quid velim, cogita.

SECTIO

SECTIO I.

PRAEFAMINA.

Saepe aetatem noſtram debilitatis ac miſeriae infimae incuſari audio, neque Corporis vi, neque animi virtute priſci aeui homines aequare nos affirmant laudatores temporis acti. Illos ſub dio viuere, labores, pericula, res dubias atque aſperas facile tolerare, ob patriam, penates amicosque omnia perpeti non dubitaſſe, nos vero, aura horridiori, domus egreſſos, ſtatim viribus proſterni, et morborum innumera ſerie corripi contendunt. Illis mentem fuiſſe ſanam in corpore ſano, et animo aequo ac hilari, quodcunque fortunauerit deus, grata ſumſiſſe manu, nos vero animum ſimul cum corporis vigore immutatum, et moerore, impatientia et languore per maximum vitae tempus vexatum habere. Neque omnino perperam inculpatur noſtratum homi-

hominum genus. Nam ſi noſtri aeui homines priſcis comparo, eorumque corporis habitum grandem, fortem, vultumque ſerenum monumentis antiquis depictum cerno, non poteſt non ſubire animum recordatio Gigantis illius Swiftii, qui delatum ad ſe quendam, vt nunc ſunt, non prius hominem cognouerit, quam vngulis auulſum oculis ſuis obtulerit.

Sane inconcuſſam veterum corporis compagem ſpectare haud amplius licet. Pro firmitate enim debilitas, pro fortitudine timiditas, pro audacia animi abiectio et languor populares inuaſit. Raro fruitur progenies vitioſa vera et placida voluptate, quae fortunatos aureorum ſaeculorum homines, naturae legibus obedientes, perpetuo concomitabatur, ac male ſubitanea animi ebrietate compenſatur. Aequus animus vnaque ars ſemper gaudendi fere euanuit ab eo inde tempore, ex quo laxitas et debilitas corporis multitudinem inuaſit, et tam late diffuſa graſſatur. Lues peſſimae indolis, ſubdola, exiguae notae ſpeciem mentitur, ideoque nec populo tam dira et pernicialis eſſe creditur. At reuera haud paruum incumbit periculum, nec minus noxa grauis imminet, atque de ſalute hominum ſolliciti vniuscuiusque intereſt cauſas labis huius eruere, et ſi fieri poſſit, e medio tollere.

lere. Iam enim eo ventum eſt, vt optimates populi fere omnes ea corporis ſanitate haud fruantur, quam natura hominibus propriam eſſe voluit. Imo neque in inferioris plebis ordinibus inuenitur ſummum illud bonum naturale corporis robur, ſed tantum apud agricolas et reliquos ruris cultores, vtpote qui naturae legibus obtemperantes, temperantiae fructus vberrimos colligunt, vrbium vero incolas ab infima turba vsque ad proceres miſerum eſt videre, qua debili corporis compage, qua virium imbecillitate laborent. Viri, hypochondriaco malo correpti, inquieto animo vitae moleſtias lugent, dum foeminae vix e lectulo porrectae, querelas querelis miſcent. Inde perpetua animi aegritudo, inuidia, acerbitas et taedium totum corpus percellunt, et quisque, per vrbes medicinam faciens, quotidie inde natos videt icteros, ſpasmos hyſtericos, inſomnia, conuulſiones, febres neruoſos, et innumeram aliam morborum cateruam, qui totam corporis compagem et materiem ita debilitant, vt vel leuiſſimum ferre non poſſint, impetum. In quibusdam iam ſic increuit malum, vt ambitus humorum paullo fortior ſolito, alimenta aliquantulum nimis ingeſta, potus caffé paullo largior, ſomnus parumper diuturnior, feces plus minus excretae, et alia his ſimilia totam ingenii aciem ita immutent, hebetent

tent et infringant, vt fere cuiusuis horae ſpatio, Protei inſtar, mala corporis conditione coactus in omnes formas ſeſe vertat animus.

Neque vero intra haec peſſima mali facies conſiſtit. Nam, amiſſa firma corporis compage, nouum agmen morborum teterrimae indolis in miſerum populum irruit, atque eorum, quos iam antiquitus hominum intemperantia ſibi conſciuit, naturam ita vitiauit, vt medicorum ingenium nouis laboribus noua remedia obtrudere cogeretur. Artis olim principes maxima, quae tunc aegrotos diſcruciabant mala, ſimpliciſſimis profligare valebant auxiliis. Conſtat, qui feliciſſimo euentu et ſempiterna laude medicinam fecit Hippocratem, ſimpliciſſimis vſum fuiſſe medicaminibus. Producta iſta chemica et pharmaceutica, item vſus venenorum, quibus hodie hominum corpus ſtipamus, mercurius, antimonium, ſulphur, et alia hiſce ſimilia ipſi plane fuerunt et ignota, et ad valitudinis curam inutilia. Vomitum non antimonio, ſed lenioribus tentabat, decocto lenticulae, melle aceto mixto, etc. purgationem non mercurio, ialappa, ſcamonio, ſed tantum ſucco herbae mercurialis in aqua coctae, adiecto melle et braſſicae ſucco, vel ſale marino; et ſi quae fortiora con-

duce-

ducerent, elleboro cum ſeſamoide etc. (Cf. GRVNERI prael. in hiſt. med. mſſ.) contra nos multo maioribus et valentioribus artis praeſidiis inſtructi, vel leuiſſimam perniciem non, niſi multa cura et remediis ex intimis artis penetralibus depromtis auertere poſſumus, quippe quum in noſtris hominibus natura parum pollet, niſi multa arte fulta, in iſtis artis adminicula parum, natura ſua vi hoſtem fere quemque pellere potis erat.

Sectio II.

SEMIOLOGICA.

Laxitas, fibra laxa, debilis corporis compages — deficiens robur, iminutum elater, vigor ieiunus, efficacia effoeta eſſe videtur. Semper indicat, et ait Cel. Grvner (Semiot. §. 320.), aditum ſucci neruoſi ad muſculorum fibras denegatum, aut eius defectum, itemque irritabilitatem Hallerianum valde imminutam et proſtratam.

Denunciant vero ſtatum iſtum morboſum ſigna ſequentia, cutis molliuscula, a iuſta firmitate plus minus recedens, color albidus, ſingulariter tinctus, cinereo nonnunquam, nonnunquam ſubflauo affinis, foedus faciei pallor, interdum ſubitaneus rubor circa genas, oculi languidi et circulo liuido cincti, palpebrae cauae, demiſſae, ſubclauſae, bulbus humoribus velut immerſus, gingiuae laxae, rubidae, facile ſanguinem emittentes, etſi nulla vis, neque dolor ſubeſt, interdum cutis mador a vasculorum debilitate, ſudor et tranſpiratio copioſa, absque cauſſa notabili, vis muſcularis exigua, pulſus paruus, debilis, tardus, mollis, interdum

inea-

inaequalis, vox debilis, nonnunquam rauca, vel puellaris, algor pedum manuumque creber, functiones corporis omnes, plurimae certe mancae, cardialgia frequens, ſenſus ponderis in ventriculo, dum cibi concoquuntur, torſio ſtomachi, ructus, ſingultus, digeſtio omnino deprauata, murmura ventris, flatus, aluus fuſior, liquidior, vel ſtricta, dura, vrina copioſa, alba, tenuis, aquoſa, bilis ſemper iners, fatua, inefficax, ideoque et cerumen, bile affine, paucum, pallidum. (Cf. MARCARD Beſchreib. v. Pyrm. II. 212.) Quamobrem cum iam fere omnes corporis functiones aut omnino vitiatae, aut certe imminutae exiſtant, grauiſſima inde mala temporis ſpatio oriunda facillime colligas. Praeter haec torpor, neruorum reſolutio et rurſum irritabilitas ac ſenſibilitas aucta mox ſeſe produnt, et nonnumquam importune incumbunt. Saepe leuiſſimus caſus, ſonus, dolor vel minimus, aura paullo horridior maxime diſcruciat miſeros iſtos homunculos. Sed de his ſectione proxima.

SECTIO

Sectio III.

Aetiologica.

At vero ſi quis paullo altius rem indagare ſtudet, atque intimas laxitatis cauſſas inquirere cupit, ideoque medicorum libros, praeſertim qui morborum cauſſas ſe numerare gloriantur, manu verſat, parum eſt, quod apparant, neque ſic comparatum, vt exſpectationi ſatisfaciat. Gorter, (Med. Comp. p. 18.) *ſi partes*, ait, *firmae corporis noſtri a cauſa teudente facilius flectantur aut elongantur ſine ruptione, quam fieri debet in ſanitate, dum tamen vtrumque redeant, laxitas appellatur.* Et Gavbivs (Pathol. §. 158.) *Debilitas dicitur materiae ſolidum componentis niſus in cohaeſionem tam paruus, vt ferre motus nequeat, quos vitae ac ſanitatis munia exigunt, quin nimis cedat*, et: *laxum, flaccidum in partibus mollibus, ſi vi minore vltra modum ſe extendi aut dilatari patiuntur.* Haec quidem bonam nobis exhibet ſtatus iſtius morboſi deſcriptionem, minime vero explanationem cauſſarum. Enarrat notionem debilitatis partis alicuius, musculi ſ. a. minime vero illuſtrat cauſſas ſymptomatum, quae laxam corporis compagem (die erſchlafte Conſtitution) ſemper ſequuntur. Neque inde explicare quis poteſt,

poteſt, qui fiat, vt affectionem iſtam ſemper comitentur ſanguinis fluxus languidus, pulſus debilis, frigus pedum manuumque, ſecretionum turbatio, oculi languidi, et tot alia ſymptomata.

Malum ergo iſtud a cauſa quadam equidem deducere conabor in homine ſano et aegro maximi momenti, et quae (ſpero) non tantum vnius partis debilitatem, ſed totam laxam compagem et amiſſum fibrarum tonum, omniaque ſigna morbum ſub initio et decurſu comitantia facile explicabit. Hypotheſin mihi veriſſimillimam ennarrabo, et ſi cui forte minus arrideat, perpendet, quaeſo, in re tam dubia, quam pathologorum optimus ſilentio praeteriit, tyroni errorem facile ignoſcendum eſſe.

Antequam luſtraretur ab ineptiis, quibus per tot barbarorum ſecula conſpurcabatur ars medicinalis, anatomiae, inprimis praeclarae illius diſciplinae corporis animalis oeconomiam docentis, et hiſtoriae naturalis comparatiuae cognitio, ab excellentiſſimis viris nondum eruta latebat; et tum temporis non ita multum neque in pathologia, neque in therapia ad interceſſores quaſi et interpretes corporis et animae, neruos puta, animum aduertebant. Morbos ferme

omnes

omnes deprauatis ab humoribus diducebant, horumque craſin, tenuitatem, ſpiſſitudinem et ſimilia incuſabant. Sane vitiis obnoxii ſunt humores, at iſta raro cauſſae, ſaepiſſime effectus morbi exiſtunt. Contempleris, ſi libet, febrem putridam, qua inchoante, putridi nihil aut parum in humoribus inuenies, ac ſaepiſſime cardiacis neruinis ipſam ſuffocabis. Nec deſunt exempla aegrorum, absque criſi omni notabili perſanatorum, contra morborum aperte iudicatorum, quos tamen aut non ſatis pulſos; aut certe mox recurrentes ſpectas. Eadem de miasmate humores foedante hypotheſis pernicioſam quidem, ſed catholicam olim procreauit medendi viam, qua omnes omnino morbos per ſudorem profligare curae fuit. Sed de his pluribus diſſerendi iam non eſt locus. Ad rem redeamus.

Maxime mihi eorum arridet opinio ſiue coniectura, qui in neruis vltimum principium latens quaerunt, a quo et vitam animalis, et valetudinem, calorem, morbosque deriuant. Multi ſunt e noſtris medicis, qui ſententiam iſtam tuentur, et quamquam nec acerrimus ſectator multis difficultatibus ipſam adhuc premi negat, tamen mihi acu propius a vero abeſſe videtur, dubitationibus quidem obnoxia, ſed refutationibus non ita, vt ceterae fere omnes coniecturae,

nouis experimentis phyſicis firmandae. Atque ſub nocturnis tenebris, ſi cui pharo vti non licet, lucernulae ope viam proſequatur.

Experimentis conſtat viri immortalis HALLERI (Elem. Phys. X 7. 26. ſeq.) aliorumque, neruo quodam reſecato vel ligatura impedito, mox, in quam dimittitur partem, ſenſibilitate, nutritione, functionibus, motu, et vita eam orbari, contra ligatura demta vel laxata, mox priſtinum ſtatum recuperare. Deinde neruo infra ligaturam irritato, ſpaſtice contrahi muſculum; ſed quieſcere dum ſupra ligaturam irritatur neruus: item medulla irritata, corpus conuulſionibus, paralyſi, vel tetano corripi, ſed demta ea, ſentiendi mouendique poteſtatem amitti, et animal fato defungi. Ex quibus facile concludas, neruos inſtrumenta eſſe, quibus vnicuique corporis parti ſubſtantia illa praebetur, absque qua nec ſentiendi, nec mouendi, nec nutriendi vlla poteſtas datur. Ac in ipſis aut potius in animali principio incognito, ipſis inhabitanti latere cauſſam circulationis humorum aequabilis, coloris, ruboris et craſeos ſanguinis, exſtat elegans hypotheſis, quam dilucide et ſummo ingenii acumine enarrauit Cl. SCHAEFFER libro, cui nomen eſt: *Verſuche aus der theoretiſchen Arzneykunde*, P. I. II. Ex vaſtiſſimo neruorum in corpus imperio recte nullum

lum morbum nobis incumbere poſſe concludit, niſi vna neruos plus minus infeſtet. Et in plerisque morbis abunde ſpectabis neruos ſolos affectos, poſtea demum reliquas partes, humores et ſolida labores ſubire. Atqui vbi hoc etiam videre non contingit, tamen facile pernoſcas, nullam incongruam temperiem, nullum in humoribus vitium, nullum in corpore miasma latere poſſe, niſi imperium vitalis laticis vna ſufflaminetur.

In laxa quidem corporis conſtitutione neruos maximi momenti eſſe, facile iam exinde concludas, quod cito et frequenter aegri in conſpicuos neruorum morbos irruant. Perpendas, quaeſo, crebram lipothymiam, irritabilitatem auctam vel prorſus imminutam. Sed vt facilius perſpicias ſententiam, rem paullo altius inquirendam, et valetudinis quaſi genealogiam ac ſymptomatum ſeriem perluſtrandam niſi eſſe cenſeo.

Tale vero morbi initium et decurſum mihi fingo. Cauum abdominis, praecipue inteſtina, ſicut omnium fere longarum aegritudinum, ita et laxae corporis conſtitutionis cauſſa prima exiſtit. Primo abuſu rerum ſex non naturalium (ſit venia voci ſatis ineptae) digeſtio laeditur, itaque et chylum, et humores omnes degenerare neceſſe eſt: At vero dum vis vitalis atque nerui

ſatis

ſatis adhuc ſunt validi, dum in cerebro animale principium recte ſecernitur, nulla ſanitati labes infertur. Simulac vero iſta ſecretio vitiatur, omne corpus inde pati neceſſe eſt, quum nulla ſine iis functio recte procedere poſſit, vt ſupra memoratum eſt. Et primum inde vitium rurſus in digeſtionem cadit, quod non ſine maximo neruorum influxu peragi poteſt, ſecundum experimenta HALLERI aliorumque in libris medicorum vbiuis obuia. Cl. CVLLEN: nonnunquam, praecipit, animi motus, neruos hebetantes, ſubito oriundi, acido vacuum antea ventriculum implent: Quod tum ſtimulantibus neruosque confortantibus infringere aut praecavere valebis. (Pract. A. W. III. §. 1146.) Inter multa alia ſpectatiſſimum mentem ſubit exemplum, quod cl. BARTELS, per Calabriam iter faciens, ſaepius ſeſe vidiſſe tradit. Nam poſt dirum illum terrae motum, qui anno 1783. regiones iſtas peruaſtabat, apud plurimos terror et metus ventriculo tantam intulit labem, vt per multos dies nec comedere quidquam, nec ingeſta rite ferre poſſent. Ex iſta vero mala digeſtione oriantur neceſſe eſt ardor ventriculi, murmura ventris, flatus et quae ſunt reliqua, laxae conſtitutionis ſemper ſymptomata.

In quibusdam ſaburra nata in viſciditatem abit, tumque in ore colligitur multum viſcidi, multumque exſcreatu eiicitur; (cf. Gorter Comp. Med. l. c.) mane os pituita plenum eſt, in naribus mucus copioſior; grauitas oculis et capiti incumbere videtur, cum obſcuratione viſus, facies et palpebrae pallidae tument. Pari modo ſtomachus pituita oppletus a minima ingeſtione ſtatim inflatur, inde anxietas, inappetentia, nauſea, flatuum eructatio multa, ponderis ſenſus circa lumbos, infarctio lacteorum; qua corpus omni nutritione deſtituitur et marceſcit. Sic bilis et ſuccus pancreaticus corrumpitur, et praeſertim in infantibus ita ſtagnat ſaburra in inteſtinis, vt ingens inde tumor naſcatur, cui frequentiſſime vermes inhaerent, et niſi medicaminibus ſuccurras, rachitis ipſa conſpiciatur. In ſanguinem vero delata visciditas in minimis vaſis obſtructionem parit, tardiorem circuitum inducit, colorem pallidum, frigus, cutem mollem, pallidam, ſrigidam, tumentem, et omnia, quae laxam compagem comitantur ſymptomata corpori infligunt, vrinam albam, tenuem, menſes tardos et albos, fluorem album, hepar, lien, glandulae meſaraicae infarciuntur, inceſſus eſt tardior, oritur ſedendi amor, pigritia, ſenſuum torpor, ſomnolentia, oculi hebetes, vertigo.

In aliis potius ad acidum vergit ſaburra, ſi nempe in viſcera iam debilia, inertia ingurgitant cibos vel potum copioſum acidum, rodendo ventriculum acrimonia iſta cardialgiam anxietatem, ructus, flatus, dolores colicos et iliacos, nec non bilem atram generat.

In aliis vero rurſum ſub morbi decurſu, aucta iam debilitate vel abuſu medicamentorum reſoluentium, aquae tepidae, et id genus ſimilium exacerbata, nimia oritur tenuitas, multa ſymptomata procreans, quibus obnoxios videas homines laxitate laborantes: humores ſponte effluunt, vnde haemorhagiae ſine laeſione vaſorum, haemoptyſis, haematuria, diarrhoea, diabetes, ſudores copioſi (cf. Gorter l. c.) cet. veniunt, et ob ſanguinis rubri inopiam corpus palleſcit, macreſcit, debilitatur et languet, vnde ſequitur impotentia, laxitas carnis et membrorum, tandem atrophia vel maraſmo perit.

Hiſce impuritatibus impletum corpus omnibus morbis ludibrio eſſe facile patet. Omnibus malis obnoxiam praecipue infirmitatem eſſe Celsvs (L. II.) auctor eſt, itaque mox abit in malum habitum, cum cutis tumore ac liuore, ex iſta in oedemata et hydropes, praeſertim in omnes a nimia pituita ortos morbos, v. c. haemor-

morrhoides, febres pituitoſas et intermittentes, quae hydrope fere ſemper terminantur, porro in leucorrheam, gonorrhoeam benignam etc. Grauidae, nimia laxitate preſſae, facile abortu enituntur, magna cum vteri haemorhagia, puerperae lochiorum fluore nimio vel retentione laborant: tandem miſeri in omnes neruoſorum affectionum calamitates irruunt, atque hyſtericis et hypochondriacis paſſionibus, incredibile, quantum diſcruciantur. Praeterea contagioni cuicunque ſunt maxime obnoxii, quoties acutis morbis afficiuntur, et multo magis periclitantur, quam qui firma compage gaudent. et artis praeſidio licet perſanati, diras tamen morbi ſequelas haud facile effugiunt.

BRITISH PROVINCIAL ARCHIVES
MORAVIAN CHURCH

SECTIO IV.

CAVSAE, QVARE HODIE ISTI MORBI CELEBRANTVR.

Iam mihi recenſendae ſunt cauſſae, cur noſtra quidem tempeſtate dira iſta calamitas tam immoderate ac communiter ſaeuiat. Sane maximi momenti foret facinus et ciuica corona dignum, ſi qui vir nominis magni populares noſtros de vitiis, quibus immerſi ſunt, ſedulo moneret. Ego vero cum probe ſentiam, quae ſit virium ingenii tenuitas, hanc lauream inuideo nemini; attamen in re tam ardua et vtili voluiſſe ſat eſt. Audebo, quantum potero. Scribam certe amicis, et meam qualemcunque ſententiam paucis exponam.

Ad binas claſſes (puto) praecipue reduci poſſunt cauſſae, quibus factum eſt, vt honos ille ac decus formae, corporis fortitudo et proceritas antiqua, euanuerit. Aut enim vitium infantibus iam a parentibus, veluti per traducem, traditur, aut, qua ſunt ſtultitia, ſibi ipſi calamitatem conſciſcunt homines. Illud quidem noſtra aetate ſaepiſſime contingit. Aetas parentum peior auis tulit nos nequitiores. Aucti ſunt morbi

ſiphylitici, aucta eſt luxuries et mollities. Sed et fortes natu multifarie compagem corporis ſibi ipſi debilitant, cum peſſimo victu et corporis cultu admodum noxio, tum vero infortuniis noſtrae aetate peculiaribus, v. c. luxuriae admodum aucta, educatione liberorum incongrua, et nato inde otio turpi et pigritia, imo vero peſſimis flagitiis, vt maſturpatione rel.

Multos morbos a parentibus liberis tradi, iam olim ab artis principibus extra omnem dubitationis aleam poſitum eſt. (Cf. F. Hofmanni D. de affect. hered. Hal. 1699.) Sed non defuerunt, qui hanc hereditatem magis ſpecioſe, quam vere ex animis medicorum euellere cuperent. Conſtat inter omnes, experientia duce atque magiſtra, apoplexias, paralyſes, comitialem morbum et id genus alia vitia in liberos pro pagari, et Hippocrates (lib. de morbo ſacro §. 5.) ex pituitoſo, ait, pituitoſus, ex bilioſo bilioſus gignitur, ex tabido tabidus. etc. Spectabile mentem ſubit exemplum virtutis huius, id eſt, hereditariae diſpoſitionis, quam nobis tradidit Perill. Delivs. (L. de catalepſi) Stirpem enim denotat, ex qua puellae omnes ſpasmis diſcrutiantur, neque ipſi tantum, ſed et eorum liberi, nepotes, pronepotes, quamquam peregrino matrimonio procreati. Quotidie oculis obuer-

obuerſantur familiae, nocturnorum phaſmatum inſtar incedentes, quorum parentes hypochondriaco hyſtericoue malo vel aliis grauioribus affectubus laborant; Pueri initio tantum, ſi modo rachitidem elapſi ſunt, ſumma corporis laxitate corripiuntur, neque vlla ipſis pars ſatis firma atque denſata exiſtit. Plura in medium proferre ſuperuacaneum duco, cum cuiuis talia e libris medicorum colligendi et in praxi annotandi facultas ſit.

Sed dirum eſt ingensque malum, quod facile ira deorum in miſeros homines immiſſum dixerit quispiam, *lues* nempe *venerea*, quae innumera mala generi humano intulit. Iam per tria ſaecula Europae incumbit, et animum internecat, et miſeros depaſcitur artus. Graues inde in progeniem tranſeunt noxae, peſſima acrimonia infantem in vtero inficientes. Sunt quidem (fateor), qui nuper hoc negarunt ac pernegarunt, ſed quam bene ac vere, viderint alii. Malo enim cum natura conſentire, quam cum Hvntero eiusque amicis paradoxa quaerere, malo cum Sanchezio luem longam, id eſt morbos venereos laruatos defendere, quam nouaturiendi pruritu ad deuia deduci. Si enim hiſtoriam morbi teterrimi mecum reputo, immanem horreſco furorem, quo olim in homines ſaeuit,

contra miror clandeſtinam ſtragem, quae nunc veſtigia eius premit. Primis, quibus ſeſe maфeſtauit, temporibus longe deterior ac periculoſior fuit, nonnunquam intra dies aliquos aegros necauit. paucis poſt coitum horis vlcuſculum in glande erupit, tum per totum corpus, praeſertim in facie, apparuerunt puſtulae foedae, vnde dolores maximi ſequebantur, ſerpſit vitium ad palatum, fauces, tonſillas, et labia et ipſa pudenda tota miſere conſumta ſunt, donec in horum malorum locum ſuccederent dolores oſteocopi, gangraena, caries etc. Tum temporis quandoque leuati ſunt aegri, perſanati numquam. Noſtra aetate multum in leuius mutatam inuenimus hancce pernicioſam calamitatem; ſed et nunc in ſiphylitide correptis humores omnino foede mutantur, facta quadam, etſi occulta cum miaſmate aſſimilatione. Itaque et tota corporis firmitas peſſum datur, conſtatque inter medicos rem ex aequo et ſine partium ſtudio aeſtimantes, laxitatem, rachitidem, ſcrophulas, hypochondriacum et hyſtericum malum et ſimiles morbos poſt luis aduentum magis increbuiſſe. Fridericvs, magnus nuper Boruſſorum rex, Zimmermanno naturae ipſius robur admiranti, ingenue ac facete, ſed ſatis vere reſpondit: *C'eſt que mon pere n'a jamais eu la vérole.*

Sed

Sed nec ſuis tantum viribus lues in humanum genus ſaeuit, ſed et ipſa remedia, quibus pellitur, haud minori detrimento fuiſſe certum habetur. Mercurius multos internecauit, plures per ambages in deſperatos et immedicabiles morbos detruſit, praeſertim inſanis, quibus olim vſi fuerunt, medendi rationibus, (cf. VLR. AB HVTTEN de guaiaci medicina et morbo gallico Lib. Mogunt. 1519. 4.) Potentiſſime enim humores reſoluit, ſanguinis particulas ſeiungit, ſaliuae glandulas deprauat, vnde corporis habitus inſigniter delabitur, et homines antea ſatis ſucculenti ac robuſti, vbi mercurio vſi ſunt, marcidi apparent et luridi. Porro febriculam incitat, pulſum atque irritabilitatem auget. Quin imo haemoptyſin, phrenitidem, maniam, coma et febres quartanas a nimio eius vſu natas eſſe tradunt artis periti. Ego vero pro certo habeo, debilitatem, cachexiam, chloroſin, formam indecoram, luridam et aſpectu foedam, rachitidem crebram, et quae ſunt reliqua mala, noſtris in vrbibus infantes prementia, non, niſi medicaminibus deberi, quibus temere vel neceſſario vſi parentes fuerant.

Tertiam numero cauſſam auctae et frequentis debilitatis nimiam ingurgitationem aquae calidae, qua noſtra tempeſtate omnes hominum ordines mirum in modum abutuntur. Vulgare vitium

 eſt,

eſt, iuuenes, viros et foeminas, quin ipſos infantes, optimates et plebem infimam bis vel ter in die, aquam iſtam calidam herbae theae ſuperinfuſam vel fabarum caffé toſtarum et ex aqua feruida coctarum liquorem paullo auidius ſorbere vides. Sunt, qui mane, vbi, e lectulo ſurrexerint, ſtatim dilectum ſcilicet potum bibant, vsque ad decem vascula, poſt prandium iterant, et vbi ad horas vespertinas ventum eſt, haud facile inter delicatulas noſtras foeminas vnam alteramue inuenies, cui non pulcra machina pyxidi Pandorae, quam Hygaeae ſimilior, ad aquam calefaciendam apta mire placeat. Sed iſtae miſerae, prauae conſuetudini indulgentes, haud vident quam atrociter in ſe ipſos ſaeuiunt, quomodo lentum iſtud venenum omnes corporis vires deſtruat, quomodo debilitatem et infirmitates corporis augeat, imo et animi hilaritatem et ingenii aciem auferat. Iam olim Gavbivs diſerte viſcera, hoc potu inundata, laxari affirmat, eaque infirmari, menſtruorum ſalia nimis diluta eneruari, anorexiam, apepſiam inde naſci. „*Multa*, ait, *irrigatione mucus has* „*partes illinens abſtergitur; vnde nudarum ſenſi-* „*liſſima teneritudo, ſpaſmi, intolerantia ingeſto-* „*rum, vita ſine cibis etc. chylus vero aquoſior in* „*ſyſtema circulationis delatus tenuitatem aqueam* „*per humores diffundit, pallorem ſanguini, collu-*

„*uiem*

*„uiem ſeroſam uniuerſo corpori inducit, unde nu-
„tritio praua, ſolidorum debilitas, carnis effemina-
„tio, neruorum impotentia, vis vitalis, ſenſuum
„torpor, frigus, hydropum variae ſpecies ex re-
„ſtagnante aquoſo lentore* et ſ. p. „ Quod vero GAVBIVS aliique clari viri permulti viderunt et luce clarius euicerunt, quia erant medici ſcilicet, belli noſtri temporis homunculi non vident, ſed aquam iſtam calidam, quam habent in deliciis, perlubenter bibunt et bibent ad extremum vsque ſpiritum. Vidi foeminas, fluore albo miſere diſcruciatas, nulla alia euidente cauſa, niſi laxitate ſumma, quam ſic contraxerant. Simulac potum theae relinquerent, ad ſanitatem priſtinam redierunt. Quoties vero ad veterem conſuetudinem delaberentur, cum ſuetis illico malis conflictatae ſunt. Quot enumerare poſſem viros, hypochondriaco malo, ſpasmis, cardialgia, flatibus et innumeris aliis cruciatibus obnoxios, etſi nulla alia cauſſa ſuberat, niſi debilitas, quam ſibi copioſo aquae calidae hauſtu conſciuerant. Hos adi, ſi placet, detrimenta inde naſcitura probe expone, ſincere hortare, vel aſperioribus verbis perſtringe, tamen a prauis ſtudiis eos reuocare fruſtra conaberis. Commoda incredibilia audies, frigidum inde ſtomachum calefieri, vim vitalem et animi hilaritatem inde excitari, maximum eſſe antidotum contra pituitam, con-

tra

tra venena et crebros vomitus, contra obſtructiones etc. At vero quis eſt, qui neſciat, quam miſere iudicent ſtudio et amore caeco in rem quandam proni? Dum enim aperte diſcruciantur, et in peius ruunt, originem malorum, tamquam medicinam, ſumma ope decantare nituntur. Bontekoe, ſuperioris ſaeculi medicus paraclytus, (Abh. v. d. Menſchen Leben Krankheit u. Tod. p. 464.) auro ſocietatis mercatorum Batauorum conductus, (ita fama eſt) ſanguinem tum demum integerrimum fore affirmauit, et quam minimis morbis obnoxium, cum maxime dilutus aqua ex herba theae infuſa ſit. Quamobrem ſumma arrogantia iubet tantum bibere, quantum hauriri poterit, incipiendo a decem vaſculis murrhinis et pergendo, quantum gula et ventriculus capere, veſica demittere queat, mane, meridie, veſperi et nocte. Verumenimuero conſtat inter omnes medicos, quibus mens ſana eſt et auro mercatorum praeualens, pro animi hilaritate naſci ſtuporem, cephalalgiam, imo melancholiam, pro concoctione et nutritione apepſiam, pro menſibus fluorem album et ſterilitatem. Perill. Zimmermann in omnibus fere venenatae huius plantae potatoribus obſeruauit pulſum paruum, ſpaſmos hypochondriacos, malam concoctionem, flatus, palpitationem cordis, globulum hyſtericum, tremorem,

morem, vertiginem, ſyncopen, chloroſin, melancholiam. (Cf. lib. Von der Erfahr. IV.) ANDRE, medicus Londinenſis (ap. TISSOT Traité des Nerfs. III.) hiſtoriam tradit puellulae 12. annorum, ſubito ciborum faſtidio, chloroſi, laſſitudine ingenti, ſpaſmis et linguae paralyſi correptae, quae dira ſymtomata non, niſi copioſa ingurgitatione aquae calidae ex herba theae infuſae orta fuerunt. Et LINNAEVS omnes theae affines plantas veneno acriori pollutas pronunciat. Quid? quod ipſam theam inter fortiora adſtringentia, imo corroſiua medicamina numerandam eſſe conſtat. Iam infuſum paullo ſaturatum proprium ſibi adſtringentem ſaporem linguae imprimit; imo vis eius tam dira eſt, vt, veluti acidum ſyrupum violarum tingat. Patent itaque effectus in mucum, oeſophagum, ventriculum et inteſtina oblinentem. Quo abſterſo, omnis cibi potusue ſtimulus ſuauis nunc in dolorem mutatur, oriunturque irritabilitas et ſenſibilitas peruerſa, functionum turbatio, ſpaſmi, conuulſiones, rel itaque quam ſaepiſſime thermopotae inquietudini, laſſitudini, inſomniis, marcori ac crebrae febriculae etc. ſuccumbunt, vrinam copioſam mingunt, ſaepius inſudant, nunc aluo fuſiori, nunc ſtricta laborant, donec maximis neruorum morbis periclitantur. Heu, quam fecunda malorum parens aqua calida eſt! Quam intuta inde

ab

ab corporis primordiis infanti valitudo eſt, quam aliena decora corporis prolixitas.

Verum non ſolum potus rationem ſollers peſſimarum artium aetas deprauauit, ſed etiam epulas mirum in modum corrupit. Quantum diſtamus a parentibus, de quibus TACITVS narrat cibos eorum fuiſſe ſimplices, agreſtia poma, recentem feram et lac concretum, et ſimiliter CAESAR: *Maximam partem lacte atque pecore viuunt.* Vatum princeps ſuos homines κατ' ἐξοχὴν σιτοφάγους nominat. Quid ſi nunc ſurgeret, et ingentem dapium farraginem et varietatem ſpectaret, quam quotidie in cuiusuis vel paullulum diuitis menſa ſplendere vides, iuscula, minutalia, clibanitides, ſcriblitas, tuceta, artocreata: et quae ſunt his ſimilia, bone deus, quantopere rem noſtram conquinariam faſtidiret. Maxime etiam nocet *aromatum* quantitas, quibus hodie epulas condimus. Eorum enim vim igneam natura benigna minime nutrimentorum loco nobis obtulit. Sitim, cardialgiam, ardorem ſtomachi inde produci, docet GAVBIVS (Pathol. §. 466.) bilem exaſperari atque inteſtina inflammari, ideoque et chylum mire deprauari. Ne quis mihi dicat, aromata, ſpiritus vini, aquas vitae, quas vocant, elixiria etc. ſtimulo, quo pollent, ventriculum incitare ac

cale-

calefacere, ideoque et concoctioni prodeſſe. Id ſi cui neceſſe eſt, inteſtina ipſius debilia eſſe abunde demonſtrat atque profitetur. Ecquis enim eſt, qui equum non, niſi virga equitis ad currendum concitatum egregium, fortem et nobilem praedicat? Sed et aliud inducunt malum cibi aromatis inſperſi. Palatum enim titillando et ſtomachum incitando voracitatem hominum augent, eumque ſic ſtimulant, vt quotidie ventriculum magis, ac ſas eſt, infarciant. Quo facto, canalis alimentaris vires franguntur, cruditates naſcuntur, multiplex inde chyli vitium et multifariae cacochymiae ſequuntur. In his eminet humorum circuitum peruerſus, dyſpnoea, cephalalgia, vertigo, ſenſuum hebetudo. Diſerte SENECA de ſaeculi ſui luxu conqueſtus: *Simplex erat*, inquit, *ex ſimplici cauſſa valetudo: multos morbos multa fercula fecerunt. . . Innumerabiles eſſe morbos miraveris? Coquos numera.*

Inter maxima vel bona, vel mala mortalibus propria *educationem pueri* numeramus omnes. Inde et corporis, et animi conditio tota vel fauſta, vel infauſta pendet. Quare ſi cui a ſapiente patre, ſedula matre, egregiisque praeceptoribus contigit ὀρθοπαιδεια, proſternat faciem ſummo numini gratiam acturus, maximamque et rariſſimam ſeſe inueniſſe margaritam exiſtimet.

ſtimet. Sed, heu! quam paucis ſic gloriari licet! Nam ſi ab ſingulis fortunae filiis receſſeris, vbicunque oculos ſuſtuleris, et corporis perniciem, et animi hebetationem moliri omnes dixeris. Vt taceam, in quam diu iam inuecti ſunt clariſſimi viri, peſſimam corpus nutriendi rationem, et mittam pulmenta, quibus infantium inteſtina multant, ſenſus feriunt veſtimenta abſurdiora, praeſertim puellarum, fibulatoria, quibus ventrem gracilem, mammas luxurientes reddere ſtudent in voluptatibus pronae, male habet nimius calor et, molliuſculae ſtragulae, quibus pueri fouentur et rel. Ab his enim noxis ventriculum debilitatum, et ſaburra plenum, inteſtina verminum ſordibus farcita, glandulas meſaraicas obſtructas, ſanguinis humorumque craſin vitiatam, impetiginem, ſcabiem, atrophiam, febres lentas, tabem etc. naſci videmus. Solummodo de animi inſtituendi ratione paucis hic loci diſputare libet: Hic enim multo frequentiores errores inuenies. Omnes fere nihil maius in votis habere putares, niſi vt, quam fieri poſſit citiſſime, infantes viri euadant, et praecoci mentis cultu excellant, ideoque ingenium quidem exercent, ſed corpus temere negligunt. Vitioſam iſtam diſciplinam inter maximas debilitatis noſtrae cauſſas numero. Naturae legibus primo hominis corpus firmatur, tunc ſatis

ſatis tempeſtiue animi acie integra homo perfruetur. Nos vero omnimode naturae obluctantes hoc vnum curae habemus, vt animum ſcientiis imbuamus, velutique obruamus, corpus aut negligentes, aut abſurdis artibus deprimentes. Adſpice, quaeſo pueros hoc modo intempeſtiue ſcientiis imbutos, vide oculos languidos, membra fracta, muſculos relaxatos, neruos et debiles, et valde irritabiles, laſſitudinem grauem et languorem ſummum, ſi quando corpus moueant. Num tibi adhuc dubium eſt, litteras praepoſteras et vitam ſedentariam omnem corporis vim ac firmitatem peſſum dediſſe? Iam in adultis ex immodicis mentis exercitationibus neruorum tonum amiſſum et tremores membrorum irregulares nec non vim nerueam diſſipatam et proſtratam, immo ſenſuum hebitudinem, impotentiam, peruigilia, phantaſiam deprauatam. delirium, et fatuitatem videmus. Quae ſi adultis incidunt, quid infantibus euenire cenſes, quorum fibrae laxae et molliuſculae, nondum deſtinatum robur nactae, omni impetu ſuccumbunt. Non rationem, ſed memoriam infantum colimus, verba vel inuitis obtrudimus, quae non ſatis intelligunt, res non penſitare, vt aequum erat, ſed verba clamitando, vt pſittacos et picas, recitare cogimus, ne quid memoriam fallat. His enim praeſidiis inſtructi ante annos et barbam

 docto-

doctorum ſpeciem prae ſe ferunt, et praeceptor inde laudem honoresque ambit. Puerum, octauo anno latinis litteris pollentem, duodecimo graecis imbutum, decimoſexto miſerrimo hypochondriacorum malo correptum iri hariolor. Noui ſcholas, vbi iuuenes latinis graecisque litteris, quae hominibus noſtris fere ſordent, optime erudiuntur; at vero omnes breui ex praecordiis aegri ſunt. Eheu, quam mala res eſt praecox ingenium! Infantes doctos ſtupemus, iuuenes ſtultos miſeremur.

Verumenimuero etſi, annuente fortuna, infantes minores natu multa doctrina diuexati nihil didicerint, tamen vita ſedentaria et huic connexa alia vitia pubertatem accelerant, eamque vna cum annexa libidinum concupiſcentia effloreſcere cogunt, vnde praecox Venus et exhauſta pubertas in aetate haud dum nubili venit. Non ſic maiores noſtri, qui teſte CAESARE, diutiſſime impuberes manſerunt, hanc maximam inter ſuos ferunt laudem; Et poſtea: *hoc ali ſtaturam, ali hoc viros, neruosque confirmari putant.* Ab iſta antiqua ſeueritate nos maxime diſtamus. Apud nos, vt CONRINGIVS, (L. De habitu corporis germanicorum antiquo) et corrumpere, et corrumpi ludus cenſetur, et a ſaeculi moribus inuenit non veniam tantum, ſed ferme applauſum. Quamobrem et in peſſimum omnium flagitiorum,

maſtur-

maſturbationem puta, ruunt iuuenes tantum non omnes. Teterrima iſta lues, quam late ſerpat atque ſâeuiat, praedaegogorum quis eſt, qui neſciat? In omnibus fere ſcholis et iuuenum coetubus cum puerorum, tum puellarum eam irrepſiſſe clamitant magiſtri, et pro certo ab amicis ſumma fide dignis accepi, in pluribus vrbibus certa exiſtere conuenticula, vbi ſumma cum nequitia et licentia iſtis vitiis vacant. (cf. Ill. Grvner r. Schönemann Diſſ. de maſturbatione magna iuuentutis peſte, Praef.) Sed nemo, niſi attentus medicus plurima inde oriunda mala penitus norit. Nimia ſeminis effuſio, ſiue coitu, ſiue alio modo eliciatur, ventriculum, inteſtina, coctionem, nutritionem debilitat, oculorum et formam, et aciem habetat, corpus animumque infringit, et florentiſſimo iuueni ſenectutis deformitatem induit. (Cf. Ill. Grvner. Semiot. §. 644. et Perill. Zimmermann. l. c. IV. 10.) Debilitas, pigritia, effeminatio, pallor, cachexiae, oculorum languor, impotentia et pudendorum catharrhus, memoriae et ingenii imbecillitas, et ſexcentae aliae calamitates vndicunque obuiae non, niſi ex iſtis vitiis ortum ducunt. Sed nullam tam diram peſtem eiusmodi intemperantiam ſequi video, quam hypondriacos et hyſtericos affectus. Ex per multis quidem iisque longe diuerſiſſimis fontibus iſtos ma-

nare poſſe inter omnes conſtat, ſed ex hoc orti prae ceteris longe miſerrime diſcruciant. Laſci-vi dum adhuc ſunt, omnem amorem ac coniu-gium deteſtantur: poſt quemque amplexum mi-ra debilitate, neruorum irritatione animique tur-batione corripiuntur, atque momentaneae vo-luptatis poenas multorum dierum anxietate lue-re coguntur. Exemplum animum ſubit memo-ratu perquam dignum, ab ipſo aegro litteris man-datum. (v. Moriz Magazin z. Erfahrungs-Seelenk. VI. 2) poſt concubitum quemque ad-modum triſtem et moroſum ſeſe profitetur, ſum-ma perturbatione omnes homicidas putat, atque muneribus, quamquam iis bene praefuit, ſe pul-ſum iri et fame periturum eſſe timet, amicos aut fugit, aut acerbitate ſua pellit, ſumma diffidentia quemcunque perfidum et improbum inculpans. Sed auertamus ab iſta imagine oculos. Non ce-lebrata iterare, ſed malum de ſtirpe diuellere, caedem et rabiem tollere ciuicam, hoc ſane operae pretium eſſet.

Iam potiſſimos a me recenſitas credo κακοη-θεις, quibus factum ſit, vt prioribus deterior euaſerit aetas noſtra. Reſtant mala, quae ab auctis diuitiis fluxerunt. Iam ſi quis auctam in vrbibus multitudinem, vitam ſedentariam, eru-ditorum et opificum multiplicatam vim penſi ha-bet, non poterit non hinc in valetudinem redun-dantes

dantes noxas lugere. Medici, qui in vrbibus conſenuerunt, et turbae augmentum moresque mutatos obſeruarunt, neruorum morbos a quinquaginta abhinc annis mirum in modum exaggeratos et exacerbatos affirmant. Firmam ſanitatem et incorruptam corporis temperiem non, niſi in ſenibus reperiri aſſerit grauiſſimus auctor TISSOT (Traité des Nerfs III. 9.) Poſtquam enim diuitiae prouulgari coeperunt, laborum contemtus, luxuries, ſuperbia et auaritia preſſo pede inſecuta ſunt. Rapere, conſumere, aliena cupere, hisque ſimiles malae artes viguerunt, peſſimi inde animi affectus amicitiam, beneuolentiam et hilaritatem e medio hominum ſuſtulerunt, ex quo ſolo fonte multos manaſſe cenſet morbos idem cl. TISSOT, v. c. peruigilia, hyſtericas affectiones, icteros, febres varias, praeſertim quartanas, aliosque diuturnos languores. Quamobrem et taedium, ſtudiorum penuria ortum, inter maximas neruorum affectionum cauſſas numerat. Ex iſto enim enaſcuntur maiora conuenticula, quibus gaudet otioſus quisque (*Clubs.* vel *Aſſemblées* vocant) vbi, pulſa vera amicitia et beneuolentia, inuidia, odiis, vaniloquentia et calumniis ſeſe inuicem proſequuntur. Inde quoque ſaepiſſime familiarum concordia omnis dirimitur, licet placida ſpecie alios fallant, pauci, ſi penitus noſcantur, pluris aeſtimantur. Salutatio

tua iurgium domeſticum forte cohibuit: Simulac abieris, mox denuo retintegrabitur.

Iisdem rationibus conflatum video aliud grauiſſimum malum, furor nempe popularis inconcinno more litteris vacandi, ſcribendi et perſcrutandi fere omnia, quae otioſo cuicunque litteris mandare placuit. Scribimus indocti doctique poemata paſſim. Non tantum, quos fortuna litteris et eruditioni deſtinaſſe videtur, ii muſis operam nauant, ſed et opifices mechanicas artes negligunt, libris impalleſcunt, inopia preſſi ſibi, amicis et patriae oneri ſunt. Adſpice, ſi libet, typographorum innumera prela, quae ſemper et volumina, et libros, et libellos ſchedulasque diurna nocturnaque opera nobis porrigunt, et collige inde multitudinem et legentium, et ſcribentium. Non vrbium tantum incolas furor iſte peruaſit, ſed et male curioſis agrorum cultoribus incumbit. Neque tamen haec lectio dat veram ſapientiam. Male praeparatus animus neſcit recte iudicare resque bene perpendere, ſed ſcientiarum farragine obrutus ſapiens non eſſe, ſed videri cupit. Quo legendi ſcribendique inconcinno furore noſtrorum hominum valetudo turpiter foedata et contaminata exiſtit. Inclytum BARATIER qui eſt, qui ignoret? -- Mortuus eſt nuper in Thuringiae pago Suhla faber quidam equarius, nomine

nomine Wilke, vir multa doctrina, et eruditione pollens, praeſertim in arte poetica. (Allgem. Deutſche Bibl. LXXVIII. 2) multa conſcripſit carmina varii argumenti; itaque et facete admodum fabrum iſtum pegaſum calceare dignum praedicabant. Iam ab ineuntibus annis ſummus legendi ſcribendique pruritus ipſi incubuit; quamobrem valetudinarius factus, ſemper hypochondriaco malo et fluore haemorrhoidali, multisque Neruorum cruciatibus obnoxius fuit, vsque dum inſania correptus et lacui ſubmerſus diem ſuum obiit.

Aliud in mentem venit ridicula ſane atque portentoſa peſtis, ante XV. et quod excurrit annos in populares demiſſa, male ſedulo quorundam auctorum ſtudio: Sigwartiana febris eſt. Quam peruerſe et iudicabant, et ſentiebant aegri! Quam abſurda et inconcinna blaterabant! Quantopere ſua ſibi placebant ſtultitia! Ridicula profecto res eſt affectata ſenſibilitas, quae mortem muſcae lugere iubet, vmbras puellarum mirari, verſiculis mollibus immori. Prorſus inepta et abſona de natura eiusque ſummo opifice nugabantur, virtutem et finem omnium rerum ignorantes mira ſibi fingebant commenta: atque ridicula ſympathia ducti caeſas gallinas, imo papiliones pulicesque demortuos diris lacrymis proſequebantur. Haec vero prudentem

virum

virum dedecet mollities, animum moeſtum, diffidentem, timidum et anxium reddidit, corpori languores et debilitates innumeras inflixit.

Sed iam finem operi imponam, ne cui paullo diſertior eſſe videar. Dixi, quod animus iubebat, dixi, qua compos fui eloquutione. Neque quidquam mihi maius in votis eſt, niſi vt hominibus vtilem me aliquando praebeam. Huc tendebat ſtudium, diligentia et ſeceſſus per plurimum temporis ſpatium. Gaudeo fortunam curis arridentem, ſperoque inpoſterum amplioribus praeſidiis et pluribus litteris leuatum aliquando amicis me commodi quid allaturum. Ceterum id perpendas, te moneo, lector, me non doctis, ſed tantum parentibus, familiae, praeceptoribus et amicis litterarum mearum rationem exhibere voluiſſe.

THESES.

I. Abortus ante 40 dies procuratus eadem poena affligendus eſt, quam quem ſerius eiiciunt. (contra C.C.C. art. 133.)

II. Errant Icti in definitione temporis vitalitatis foetus.

III. Corotrophia reipl. plus nocent, quam proſunt.

IV. Praematuram liberorum ad litteras impulſionem ſummopere nociuam duco.

V. A Neruis calor corporis oritur.

VI. Lunam in hominem ſanum et aegrum multum poſſe contendo.

VII. Mercurius in praeparatione ad inſitionem variolarum neque multum pro-

ficuus

ficuus, neque omnimode innoxius videtur.

VIII. Praeſtat parciori victu ac motu intenſiori ſanguinis quantitatem exceſſiuam minuere, quam V. S. niſi periculum ſit in mora.

IX. Nemo re vera medicus dici poteſt niſi qui phyſices et philoſophiae, quam vocant, cognitioni operam nauauerit.

X. Omnis fere morbi cauſa prima in primis viis latet.

BRITISH PROVINCIAL ARCHIVES
MORAVIAN CHURCH